Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1769
Quelle:
Copyright:

ſanctarum uirtutum dignitatem in ſimilitudine unius ſimpliciſſimæ candidiſſimęque columbę diſponere, ut uos ad eandem formam animam ueſtram dirigere ſtudeatis. &c. Extrema *Libri* III. *Deinde donec finem rei* (Aſcenſionis Chriſti) *aſpicere potuerunt: Exultabant plorantes: cantabant.* Totum ad formandos Ordinis Tirones dirigitur. Illud indictum non praeteribo, *fol.* 7. commendari: *Opuſcula cuiusdam noſtri monachi, quorum primum incipit: Qui ſequitur me,* et rurſum *fol.* 25. p. 2. *Opuſculum monachi noſtri, quod incipit: Qui ſequitur me.* Quid igitur *Monachi* hujus nomen tacet Scriptor? An *Thomam de Kempis* Carthuſianum habuit? An aliud Opuſculum ab eisdem verbis incipit?

DCCXXXVI.

R. 3115 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 47. 4. nitide perſcriptus, rubricis diſtinctus, et olim *Monaſterij ſancte dorothee in wienna,* pro quo et exaratus videtur, ita inſignitur: *Incipiunt conſtitutiones domini Benedicti pape de vita Canonicorum regularium.* Eſt is *Benedictus* XII. ſolicitus clauſtralis Diſciplinae exactor, qui *Avenione Idus Maji* anno Pont. *quinto,* videlicet 1339. has Conſtitutiones dedit. Earum initium: *Ad decorem eccleſie ſponſe dei et ſanctarum religionum in ea fundatarum* &c. Ad calcem minio: *Expliciunt conſtitutiones Domini Benedicti pape De vita Canonicorum regularium militantium ſub Regula Beati Auguſtini yppoenſis epiſcopi finite Anno Domini Milleſimo Quadringen^mo^. Decimo nono in Die Sanctorum martirum Sergij et Bachi.* In Elencho ſequenti 46. *Capitulis* diſtinguuntur. Alia diviſio eſt in *Car. Cocquelinii Bullario* T. III. P. 2. p. 264.

DCCXXXVII.

Codex chartaceus lat. Sec. U. 744 XV. Folior. 179. f. per duas columnas exaratus et minio diſtinctus inſcribitur: *Expoſitio regule Beati Auguſtini epiſcopi ſecundum fratrem humbertum Magiſtrum ordinis predicatorum.* Quintus fuit in ſerie Vir hic magnae autoritatis et Scriptis notus, quorum Varia jam *Vol.* I. retulimus. Praeſens bene diſtinguendum ab *Expoſitione Conſtitutionum Ordinis* ſui, cujus etiam Liturgica digeſſit, conſtat *Capp.* XCVIII. et incipit: *Cogitanti mihi de ſermone qui exijt inter fratres* &c. finit vero: *ſe totam regulam impleſſe et ad amplius non teneri.* Ubi ſubditur: *Explicit liber. Anno Ab incarnatione Domini. M. CCCC°. VIIII. finitum.* Editiones referuntur in *Scriptt. Ord. Praed.* T. I. p. 145. Obiit *Humbertus* a. 1254. Index *Capp.* Codici adjectus a *Cap.* 80. avulſus eſt.

DCCXXXVIII.